



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput XLVIII. De die æternitatis, & hujus vitæ angustiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

## CAPUT XLVIII.

*De die æternitatis, & hujus vite angustiiis.*

I. **O** supernæ civitatis mansio beatissima! O dies æternitatis clarissima: quam nox non obscurat, sed summa veritas semper irradiat: dies semper segura, & nunquam fractum mutans in contraria.

O utinam dies illa illuxisset, & cuncta hæc temporalia finem accepissent!

Lucet quidem Sanctis perpetua claritate splendida, sed non nisi a longe, & per speculum peregrinantibus in terra.

2. Norunt cœli Cives, quam gaudiofa sit illa: gemunt exules filii Evæ, quod amara & tædiofa sit ista.

Dies hujus temporis parvi & mali, pleni doloribus & angustiiis.

Ubi homo multis peccatis inquinatur, multis passionibus irretitur, multis timoribus stringitur, multis

curis distenditur, multis vanitatibus implicatur, multis erroribus circumfunditur, multis laboribus atteritur, tentationibus gravatur, deliciis enervatur, egestate cruciatur.

3. O quando finis horum malorum erit? quando liberabor a misera servitute vitiorum? quando memorabor Domine tui solius? quando ad plenum lætabor in te?

Quando ero sine omni impedimento in vera libertate, sine omni gravamine mentis & corporis?

Quando erit pax solida, pax imperturbabilis & secura, pax intus & foris, pax ex omni parte firma?

Jesu bone, quando stabo ad videntum te? quando contemplabor gloriam regni tui? quando eris mihi omnia in omnibus?

O quando ero tecum in regno tuo, quod præparasti dilectis tuis ab æterno?

Relictus sum pauper & exul in terra hostili, ubi bella quotidiana & infortunia maxima.

4. Con-

4. Consolare exilium meum, mitiga dolorem meum, quia ad te suspirat omne desiderium meum.

Nam onus mihi totum est, quidquid hic mundus offert ad solatium.

Desidero te intime frui, sed nequeo apprehendere.

Opto inhærere coelestibus, sed deprimunt res temporales, & immortificatæ passiones.

Mente omnibus rebus superesse volo, carni autem invite subesse cogor.

Sic ego homo infelix mecum pugno, & factus sum mihi metipsi gravis, dum spiritus sursum, & caro quærit esse deorsum.

5. O quid intus patior, dum mente coelestia tracto, & mox carnalium turba occurrit oranti: Deus meus, ne elongeris a me, neque declines in ira a seruo tuo.

Fulgura coruscationem tuam, & dissipa eas: emitte sagittas tuas, & conturbentur omnes phantasie inimici.

Recollige sensus meos ad te : fac  
me oblivisci omnium mundanorum :  
da cito abjicere, & contemnere phan-  
tasmata vitiorum,

Succurre mihi æterna veritas , ut  
nulla me moveat vanitas.

Adveni cœlestis suavitas & fugiat  
a facie tua omnis impuritas.

Ignosce quoque mihi, & miseri-  
corditer indulge, quoties præter te  
aliud in oratione revolvō.

Confiteor etenim vere, quia valde  
distracte me habere consuevi.

Nam ibi multoties, non sum, ubi  
corporaliter sto aut sedeo : sed ibi  
magis sum ; quo cogitationibus feror.

Ibi sum, ubi cogitatio mea est.

Ibi est frequenter cogitatio mea,  
ubi est, quod amo.

Hoc mihi cito occurrit, quod na-  
turaliter delectat, aut ex usu pla-  
cet.

6. Unde tu Veritas aperte dixisti :  
*Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est  
& cor tuum.*

Si

Si coelum diligo, libenter de celestibus penso.

Si mundum amo, mundi felicitatibus congaudeo, & de adversitatibus ejus tristor.

Si carnem diligo, quæ carnis sunt, sæpe imaginor.

Si spiritum amo, de spiritualibus cogitare delector.

Quæcunque enim diligo, de his libenter loquor, & audio, atque taliam imagines mecum ad domum reporto.

Sed beatus ille homo, qui propter te Domine, omnibus creaturis licentiam abeundi tribuit: qui naturam vim facit, & concupiscentias fervore spiritus crucifigit, ut serenata conscientia puram tibi orationem offerat, dignusque sit Angelicis interesse choris; omnibus terrenis foris, & intus exclusis.